

duplex ordo: unus secundum quem creatura ordinatur ad Deum; alius secundum quem una creatura dependet ab alia. Nomine igitur voluntatis non exprimitur nisi ordo ille qui est creaturæ ad creaturam. Sicut enim igni in tali natura constituto debetur, ut sit sursum, considerato rerum ordine ad invicem, ita etiam culpæ debetur ut puniatur secundum ordinem eundem. Unde patet quod non ex hoc tantum aliquid dicitur esse justum, quia est à Deo volutum, sed quia est debitum alicui rei creatæ secundum ordinem creaturæ ad creaturam. Nihil enim alicui rei potest esse debitum nisi ratione suæ naturæ, vel conditionis. Naturæ autem, & proprietatis rei causa est divina voluntas: & ideo totus ordo justitiæ originaliter ad divinam voluntatem reducitur.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omne quod Deus vult, justum sit; non tamen ex hoc justum dicitur quod Deus illud vult, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod luto non est magis debitum quod ex eo fermentur vasa nobilia quam ignobilia; sed cum ex luto formatum est vas nobile, nobilitati illius vasis est debitum ut ad usus convenientes deputetur. Similiter quod Deus talem creaturam producat qualem voluerit, indifferens est ad rationem justitiæ; sed quod aliqua natura producta ei attribuitur quod illi naturæ competit, hoc ad ejus justitiam pertinet, & contrarium ejus justitiæ repugnat: & similiter indifferens est quantum ad justitiam ejus ut det gratiam, vel non det, cum donum gratiæ non sit naturæ debitum; sed postquam gratiam contulit, quæ est merendi principium, ad iudicium ejus pertinet ut pro meritis præmia reddat: & sic ex suppositione voluntatis justitia causatur.

Ad tertium dicendum, quod illud quod in voluntate includitur, voluntatem non restringit. Ex hoc autem ipso quod Deus vult aliquam naturam facere, vult attribuere ei ea quæ illi naturæ competunt; sicut cum homo vult finem, ex hoc ipso vult ea quæ sunt ad finem; & ideo voluntas Dei neque justitia ejus restringitur, neque justitiæ ejus resistere potest.

Ad quartum dicendum, quod quamvis Deus non sit debitor alicui creaturæ, tamen creaturæ potest esse aliquid debitum, quod scilicet requiritur ad ipsam ad hoc quod exemplar divinæ sapientiæ imitetur; & hoc debitum concernit justitiam, cum dicitur Deus aliquid juste facere: quod quidem magis pertinet ad ordinem rei ad rem, quam ad ordinem rei creatæ ad Deum.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod justitiæ opus potest dupliciter prætermitti. Uno modo ut fiat contra justitiam; alio modo ut fiat præter justitiam. Cum enim justitia dicatur per comparationem ad alterum, tunc contra ordinem fit quando ei subtrahitur quod ei debetur, vel quod conditio ejus exigit. Si autem aliquid amplius ei impendatur, non est contra justitiam, sed præter justitiam: quia etiamsi alicui rei aliquid non debeatur, non tamen illius privatio est ei debita. Unde si aliquid ei exhibeatur quod non debetur, nihil contra ordinem justitiæ fiet, sicut patet in eo qui alicui liberaliter sua bona communicat. Sed sicut Philosophus dicit in V. Ethic. cap. v. vel vi. pro eodem computatur minus de malo, & plus de bono: unde sicut sine præjudicio justitiæ potest aliquis de bonis suis plus alicui conferre quam debeat, ita sine præjudicio justitiæ potest ei minus irrogari de pena pro peccato in eum commisso quam ei debeatur. Sed sicut non potest sine injuria aliquis

de bonis alterius plus alicui conferre quam ei debetur, ita non potest minus irrogare de pena pro peccato commisso in alterum: & ideo iudex non potest sine præjudicio justitiæ penas diminueré debitas pro peccatis in Deum, vel in Rempublicam commissis, nisi forte quatenus viderit hoc utilitari Reipublicæ expedire. Deus autem donator bonorum omnium est, & in eum omnis peccator peccat: unde ipse potest plus conferre de bonis quam sit alicui debitum, & minus inferre de malis, vel etiam penam totaliter relaxare; nec in hoc contra justitiam, sed præter justitiam faceret. Sed si alicui minus conferret de bonis quam ei debetur, vel plus puniret quam peccasset, hoc contra ordinem justitiæ esset; nec Deus hoc posset, loquendo de potentia ordinaria, sicut non posset facere quin ejus opus secundum quod esse participat, eum imitaretur. Ex hoc enim ipso aliquid alicui rei est debitum secundum exigentiam suæ conditionis, quod sine illo exemplar divinum secundum propriam suam rationem imitari non potest.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus seipsum negaret, si creaturæ non conferret quod ei debetur secundum suam dispositionem. Sic enim veritatem non servaret in operum conditione, vel gubernatione. Non autem seipsum negat, si aliquid amplius creaturæ exhibeat quam ei debeatur, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Deus etsi nihil faciat contra naturam, tamen facit aliquid præter naturam, in quantum scilicet facit aliquid in natura ad quod non sufficientes vires naturæ; similiter etiam etsi non faciat aliquid contra justitiam, potest tamen aliquid præter justitiam facere.

Ad tertium dicendum, quod damnare Petrum, cui ex beneficio gratiæ sibi collatæ salus debetur, esset contrarium justitiæ: unde hoc Deus non potest, loquendo de potentia ordinaria. Sed salvare Judam non esset justitiæ contrarium, sed præter eam, ut patet ex dictis; sed tamen esset contrarium ejus præscientiæ, & dispositioni, qua ei æternam penam paravit: unde justitiæ ordo non impedit quin posset salvare Judam; sed impedit ordo præscientiæ, & dispositionis æternæ.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod pena de sui ratione semper importat aliquid nocivum. Ex hoc autem est aliquid nocivum, quod per ipsum subtrahitur aliquid bonum. Inter bona autem hominis quædam sunt per se loquendo ei bona, quæ sunt bona hominis in eo quod homo; quædam autem sunt bona secundum ordinem ad ista bona, sicut temporalia bona. Unde ista intantum sunt bona, in quantum ad illa spiritualia bona sunt homini adjumento; si autem impediunt, ex hoc non sunt ei bona, sed mala: unde etiam Philosophus in VII. Ethic. cap. xiii. vel xiv. dicit, quod bona fortuna est iudicanda secundum comparationem ad virtutem, prout adjuvat, vel impedit eam. Pari ergo detrimentum in spiritualibus hominis semper malum est; sed pari detrimentum in bonis temporalibus quandoque quidem est bonum, quandoque vero malum. Malum quidem est, secundum quod impedit ab operatione virtutis, & consecutionem spiritualis boni; sed bonum est, secundum quod adjuvat ad virtutem, sive ad consecutionem spiritualis boni, sicut exercitium corporale utile est ad corporalem fortitudinem acquirendam. Et quia, ut dictum est, pena à nocendo dicitur, ideo detrimen-

tum in spiritualibus bonis semper pena est; sed detrimentum in temporalibus bonis quandoque quidem non est pena, sed medicina proficiens ad salutem; sicut amaritudo potionis non est pena, sed medella corporalis sanitatis. Sed tamen quia natura nostra talis est ut ad perfectionem spiritualis boni per temporalium detrimenta oporteat pervenire, ex culpa peccati venit quo tota natura vitata est: nec tali medicina opus erit, quando vulnus peccati perfecte erit curatum, cum homo ad ultimum finem spiritualis perfectionis perveniet.

Unde dicendum, quod pena proprie loquendo numquam datur nisi culpæ; sed tamen id quod contingit esse penale, scilicet detrimentum temporalium bonorum in statu viæ, aliquando inferitur homini absque culpa præcedenti in persona, quamvis non absque culpa præcedenti in natura, sed post hanc vitam cessante spirituali profectu nullum detrimentum, etiam in corporalibus, aliquis sine culpa sustinebit: quia tunc absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum: Apoc. xxi. Sed in spiritualibus bonis nullus detrimentum sustinet neque in hac vita, neque in futura sine culpa personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Hieronymus loquitur generaliter de merito peccati actualis, & originalis præcedente vel in persona, vel in natura.

Ad secundum dicendum, quod aliquid bonum alicui exhibetur nullo merito præcedente, sicut prima gratia; non tamen habet rationem præmii: unde non est inconveniens, si aliquid malum inferatur alicui nulla culpa præcedente, quod non habeat rationem penæ, sed potius medicinæ promoventis ad bonum.

Ad tertium dicendum, quod pena non solum dicitur medicina ex hoc quod retrahit à malo, terrendo; de quo etiam objecto procedit; sed etiam in quantum promovet ad bonum, exercitendo, & abstrahendo hominem ab amore temporalium: unde ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod etiam nulla culpa præcedente sine præjudicio humanæ justitiæ, aliquid penale alicui inferitur, ut vel exercitatio juvenibus, vel medicina infirmis: unde non est inconveniens, si hoc idem fiat secundum justitiam divinam.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod actio cum sit media inter agentem & effectum, ex utraque parte modificari potest. Cum ergo quæritur, an Deus justius cum uno agat quam cum alio; si hoc referatur ad actionem prout exit ab agente, cum justitia sua, qua cum omnibus juste agit, sit una, & invariabilis, non agit justius cum uno quam cum alio; si autem referatur ad actionem prout terminatur ad effectum, sic etiam dici non potest, quod cum uno justius agat quam cum alio, eo quod opus, aliquid dicitur justum ex hoc quod est proportionaliter ad æquatum: æqualitas autem sive quantitatis, sive proportionis est ejusdem rationis in minimis, & in magnis: eadem enim proportio quæ est inter duo & unum, est inter viginti & decem: & æqualitas eadem quæ est inter unum & unum, est inter centum & centum. Et ideo non potest esse unum opus altero justius, dummodo utrumque sit justum: eadem enim justitia servatur dum mala redduntur pro malis, & bona pro bonis, sive sint parva, sive sint magna. Sed tamen quia in nobis non requiritur ad virtutem ut semper me-

(1) Vulgata pro mensura peccati.

dium attingamus, sed sufficit quandoque juxta medium esse propter difficultatem inventionis medi, ut dicitur in II. Ethic. cap. ult. inde est quod apud nos unus alio justius agere dicitur, secundum quod magis, vel minus accedit ad medium non perveniente utroque ad ipsum. Sed ipse Deus, cui sunt notæ omnium rerum mensuræ, semper in operatione sua ad medium indivisibile pertingit; unde nullo modo justius cum uno quam cum alio agit.

Ad primum ergo dicendum, quod puniatio non est effectus justitiæ in quantum hujusmodi, sed in quantum est culpæ proportionata. Licet ergo à Deo inferatur major pena, vel minor; semper tamen ex ejus justitia secundum eamdem proportionem inferitur.

Ad secundum dicendum, quod misericordia respicit absolute divinum effectum, non concernendo aliquam proportionem, vel æqualitatem in ipso: unde secundum majorem, vel minorem misericordiam effectum dicitur misericordius agere cum uno quam cum alio; si hoc referatur ad actionem secundum quod determinatur ad effectum; non autem, si referatur ad eam secundum quod exit ab agente: quia ipse una & invariabilis misericordia cum omnibus misericorditer agit. Nec tamen sequitur propter hoc quod aliquo modo cum uno justius agat quam cum alio: effectus enim misericordiam non est contra justitiam, sed præter eam, ut ex prædictis patet.

ARTICULUS III.

Utrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pena æterna.

I. 2. q. LXXXVII. art. 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ex divina justitia non inferatur peccatoribus pena æterna. Pena enim non debet excedere delictum. Deuter. xxv. 2. (1) Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Sed culpa est temporalis. Ergo pena non debet esse æterna.

Præterea. Duorum peccatorum mortalium unum est altero majus. Ergo unum debet majori pena quam alterum puniri. Sed nulla pena potest esse major quam æterna, cum sit infinita. Ergo non cuilibet peccato mortali debetur pena æterna; & si uni non debetur, nulli debetur, cum eorum non sit distantia infinita.

Præterea. A justo iudice non inferitur pena, nisi ad correctionem: unde II. Ethic. cap. ii. vel iii. dicitur, quod penæ sunt quædam medicinæ. Sed quodam impii in æternum puniuntur, hoc non est ad correctionem eorum; nec aliquorum malorum, cum tunc non sint futuri alii qui per hoc corrigi possint. Ergo secundum divinam justitiam non inferitur pro peccatis pena æterna.

Præterea. Omne quod non est propter se volitum, nullus vult nisi propter aliquam utilitatem. Sed penæ non sunt à Deo propter se volitæ: non enim delectatur in penis. Cum ergo nulla utilitas possit accidere ex penæ perpetuatione, videtur quod perpetuam penam pro peccato non inferat.

Præterea. Nihil quod est per accidens, est perpetuum, ut dicitur I. cæl. & mund. text. xv. Sed pena est eorum quæ sunt per accidens, cum sit contra naturam. Ergo non potest esse perpetua.

Præterea. Justitia Dei hoc requirere videtur ut

(1) Vulgata pro mensura peccati.

(1) Vulgata pro mensura peccati.

peccatores ad nihilum redigantur: quia per ingratitudinem dicitur aliquis beneficia accepta amittere. Inter cetera autem Dei beneficia est etiam ipsum esse: unde videtur justum ut peccator qui ingratus Deo existit, ipsum esse amittat. Sed si in nihilum redigantur, eorum poena non potest esse perpetua. Ergo non videtur esse consonum divinae justitiae ut peccatores perpetuo puniantur.

Sed contra est quod dicitur Matth. xxv. 46. *Ibunt hi, scilicet peccatores, in supplicium aeternum.*

Præterea. Sicut se habet præmium ad meritum, ita poena ad culpam. Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur præmium aeternum: Joan. vi. 40. *Omnis qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam aeternam.* Ergo & culpæ temporali secundum divinam justitiam debetur poena aeterna.

Præterea. Secundum Philosophum in V. Ethicor. cap. 111. poena taxatur secundum dignitatem ejus in quem peccatur; unde majori poena punitur qui percutit alapa Principem quam alium quemcumque. Sed quicumque peccat mortaliter, peccat contra Deum, cujus præcepta transgreditur, & cujus honorem aliquando aliis impertitur, dum in alio finem constituit. Majestas autem Dei est infinita. Ergo quicumque mortaliter peccat, dignus est infinita poena; & ita videtur quod juste pro peccato mortali aliquis perpetuo puniatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum poena duplicem habeat quantitatem, scilicet secundum intensionem acerbitatis, & secundum durationem temporis, quantitas poenæ respondet quantitati culpæ secundum intensionem acerbitatis, ut secundum quod gravius peccavit, secundum hoc gravior poena ei infligatur: unde Apoc. xviii. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* Non autem respondet duratio poenæ durationi culpæ, ut dicit Augustinus XXI. de Civit. Dei, cap. xv. non enim adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentanea poena punitur etiam secundum leges humanas: sed duratio poenæ respicit dispositionem peccantis. Quandoque enim ille qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus ut totaliter repellatur à societate civitatis vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem. Quandoque vero non redditur dignus ut à societate civium totaliter excludatur: & ideo ut possit esse conveniens membrum civitatis, poena ei prorogatur, vel breviatur, secundum quod ejus expedit correctioni, ut in civitate convenienter, & pacifice vivere possit. Ita etiam secundum justitiam divinam aliquis ex peccato dignus redditur penitus à civitate Dei consortio separari; quod fit per omne peccatum quo quis contra charitatem peccat, quæ est vinculum uniens civitatem prædictam: & ideo pro peccato mortali, quod est contrarium charitati, aliquis in aeternam à societate Sanctorum exclusus aeternæ poenæ adicitur: quia ut Augustinus in Lib. prædicto, cap. xii. dicit, *quod est de civitate ista mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de illa civitate immortalium homines supplicio secundæ mortis auferre.* Quod autem poena quam civitas mundana infligit, perpetua non reputatur, hoc est per accidens in quantum homo non perpetuo manet, vel in quantum etiam ipsa civitas deficit: unde si homo in perpetuum viveret, poenæ exilii, & servitutis, quæ per legem humanam inferuntur, in eo perpetuo permanerent. Qui vero hoc modo peccant, ut tamen

non reddantur digni totaliter separari à sanctæ civitatis consortio, sicut peccantium venialiter, tanto eorum poena erit brevior, vel diuturnior, quanto magis, vel minus purgabiles erunt, secundum quod eis peccata plus, vel minus inhaeserunt; quod in poenis hujus mundi, & purgatorii secundum divinam justitiam servatur.

Inveniuntur etiam alia rationes à Sanctis assignatæ, quare juste pro peccato temporali aliqui poena aeterna puniantur. Una est, quia peccaverunt contra bonum aeternum, dum contempserunt vitam aeternam; & hoc est quod Augustinus in Lib. prædicto, eodem cap. dicit: *Factus est malo dignus aeterno, quia hoc in se peremit bonum quod esse posset aeternum.* Alia ratio est, quia homo in suo aeterno peccavit: unde Gregorius dicit in IV. Dialog. cap. xlv. quod *ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio qui nunquam carere voluerunt peccato.* Et si obijciatur, quod quidam peccantes mortaliter, proponunt vitam suam in melius quandoque commutare, & ita secundum hoc non essent digni aeterno supplicio, ut videtur; dicendum est secundum quosdam, quod Gregorius loquitur de voluntate quæ manifestatur per opus. Qui enim in peccatum mortale propria voluntate labitur, se ponit in statu à quo erui non potest, nisi divinitus adjutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare, vult consequenter perpetuo in peccato manere. Homo enim est *spiritus vadens*, scilicet in peccatum, & non rediens, per seipsum Psalm. lxxviii. 39. sicut si aliquis se in foveam projiceret, unde exire non posset nisi adjutus; posset dici quod in aeternum ibi manere voluerit, quantumcumque aliud cogitaret. Vel potest dici, & melius, quod ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit; & quia ad finem vitæ tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illud peccatum, & vellet perpetuo in peccato permanere, si hoc sibi esset impune: & hoc est quod Gregorius dicit XXXIV. Moral. cap. xvi. super illud Job xli. *Estimabit abyssum quasi senescentem:* „Iniqui ideo cum sine deperierunt, quia cum sine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitate permanere: nam magis appetunt peccare quam vivere.“ Potest & alia ratio assignari, quare poena peccati mortalis sit aeterna, quia per eam contra Deum, qui est infinitus, peccatur: unde cum non possit esse poena infinita per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitæ, requiritur quod sit saltem duratione infinita. Est & quarta ratio ad hoc idem: quia culpa manet in aeternum, cum culpa non possit remitti sine gratia; quam homo non potest post mortem acquirere: nec debet poena cessare quamdiu culpa manet.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut jam dictum est, poena non debet adæquari culpæ secundum quantitatem durationis, ut videtur etiam secundum leges humanas accidere. Vel dicendum, sicut Gregorius solvit loc. cit. quod quamvis culpa sit actu temporalis, tamen voluntate est aeterna, ut jam expressitum est.

Ad secundum dicendum, quod quantitati peccati respondet quantitas poenæ secundum intensionem: & ideo peccatorum mortalium inæqualium erant poenæ inæquales intensione, æquales autem duratione.

Ad tertium dicendum, quod poenæ quæ infliguntur his qui à civitatis societate non penitus ejiciuntur, sunt ad correctionem eorum ordinatæ; sed illæ poenæ per quas aliqui totaliter à societate civitatis exterminantur, non sunt ad correctionem eorum; possunt

tamen esse ad correctionem & tranquillitatem aliorum qui in civitate remanent: & ita damnatio aeterna impiorum est ad correctionem eorum qui nunc sunt in Ecclesia: non enim poenæ sunt solum ad correctionem quando infliguntur, sed etiam quando determinantur.

Ad quartum dicendum, quod impiorum poenæ in perpetuum duraturæ non erunt omnino ad nihilum utiles: sunt enim utiles ad duo. Primo ad hoc quod in eis divina justitia conservatur, quæ est Deo accepta propter seipsam: unde Gregorius IV. Dialog. cap. xlv. *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascatur: quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.* Secundo ad hoc sunt utiles ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, & cum hoc se evasisse cognoscunt: unde Psalm. lxxviii. 11. *Letabitur justus, cum viderit vindictam;* & Isai. ult. 2. *Brunt, scilicet impij, usque ad satietatem visionis,* (1) scilicet Sancti, sicut Glossa dicit. Et hoc est quod Gregorius dicit in IV. Dialog. ubi sup. *Iniqui omnes aeterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis percipiunt supplicia quæ evaserunt, quatenus tanto magis in aeternum divina gratia se debitores esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.*

Ad quintum dicendum, quod quamvis poena per accidens respondeat animæ, tamen per se responderet animæ culpa infecta: & quia culpa in perpetuum (2) ibi manebit, ideo etiam poena erit perpetua.

Ad sextum dicendum, quod poena responderet culpæ, proprie loquendo, secundum inordinationem quæ invenitur in ipsa, & non secundum dignitatem ejus in quem peccatur: quia sic cuilibet peccato redderetur poena infinita intensione. Quamvis ergo ex hoc quod aliquis peccat contra Deum, qui est auctor essendi, mereatur ipsum esse amittere; considerata tamen ipsius actus inordinatione non debetur ei amissio esse, quia præsupponitur ad mentum, & demeritum: nec per inordinationem peccati esse tollitur, vel corrumpitur; & ideo non potest esse debita poena alicujus culpæ privatio esse.

QUÆSTIO II.

Deinde quaeritur de misericordia Dei: & circa hoc quaeruntur tria.

Primo. Utrum in Deo sit ponere misericordiam.

Secundo. De effectu ipsius.

Tertio. Utrum misericordia Dei patiatur poenas damnatorum esse perpetuas.

ARTICULUS I.

Utrum sit misericordia in Deo.

1. 2. quæst. xxi. art. 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit misericordia. Sicut enim dicit Damascenus Lib. II. de Fide orth. cap. xiv. *misericordia est compassio de alienis malis.* Sed compassio non cadit in Deum. Ergo nec misericordia.

Præterea. Misericordia miseriam respicit. Sed quanto aliquis est magis peccator, tanto magis est miser: quia Proverb. xiv. 34. *Miseros facit populos*

peccatum. Ergo si Deus est misericors, quanto aliquis est magis peccator, tanto magis ei providebit; quod videtur absurdum.

3. Præterea. Misericordia inclinat misericordem ad alienam miseriam repellendam. Ergo misericors nec alii miseriam infert, nec inferri permittit, si fieri potest. Sed Deus aliquos inducit in miseriam poenæ, & permittit eos incidere in miseriam culpæ. Ergo cum ipse sit omnipotens, non erit misericors.

Sed contra est quod in Psalm. cxlv. 8. dicitur: *Miserator, & misericors Dominus.*

Præterea. Sicut Deus aliquos punit, ita & aliquibus parcat: est enim præstabilis super malitia: Joel. 11. Sed ex hoc quod punit, ponimus in Deo iram, quamvis ira sit passio. Ergo ex eo quod parcat, debet dici misericors; quamvis misericordia in nobis sit passio.

QUÆSTIUNCULA II.

Uterius. Videtur quod in Deo secundum eandem rationem dicatur bonitas, & misericordia. Constant enim quod Deus gentiles ex sola misericordia liberavit: Rom. xv. 9. *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Sed conversionem gentium Apostolus attribuit divinae bonitati Rom. xv. 22. *Vide bonitatem & severitatem Dei: in eos qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem.* Ergo bonitas, & misericordia ejusdem sunt rationis in Deo.

Præterea. Principia per effectus cognoscuntur. Sed idem est effectus misericordie, & bonitatis, scilicet providere minus habentibus. Ergo eadem est ratio utriusque.

Præterea. Misericordia est quadam virtus. Sed virtus est bonitas virtuosus. Ergo misericordia in quantum hujusmodi bonitas quadam est; & ita videtur eadem ratio utriusque.

Sed contra. Quæcumque sunt unius rationis, sunt etiam unius auctoris. Sed bonitas, & misericordia non sunt unius auctoris: quia bonitas divina communicatur omnibus creaturis, in quantum bono sunt omnia bona; misericordia autem non invenitur in omnibus creaturis, ut omnes misericordes dicantur. Ergo bonitas, & misericordia non sunt ejusdem rationis.

Præterea. Misericordia non esset, nisi esset miseria. Sed bonitas esse posset etiam nulla miseria existente: quia bonum non dependet à malo, sicut nec habitus à privatione. Ergo misericordia, & bonitas in Deo non sunt unius rationis.

QUÆSTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod opus divinae misericordie ad attributum potentie reducatur. Quia opus Dei ad illud attributum reducitur quod maxime per ipsum manifestatur. Sed opus misericordie maxime manifestatur Dei potentiam: unde in Collecta dicitur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas.* Ergo misericordie opus ad omnipotentiam reducitur.

Præterea. Divina misericordia maxime manifestatur in justificatione impii. Sed magis est justificare impium quam creare celum, & terram; ut dicit Augustinus tract. lxxii. in Joap. Ergo cum creatio ad potentiam reducatur, videtur quod & misericordie opus ad potentiam Dei reduci debeat.

Sed contra. Videtur quod reducatur ad attributum

(1) In edit. Nicolai additur, ut in Vulgata, omni car ni. (2) Al. eo: for te in ea.